
**De Verborum Cum Praepositionibus Compositorum Apud
Lucretium Usu (Latin Edition)**

Keller Hermann

Title: De Verborum Cum Praepositionibus Compositorum Apud Lucretium Usu (Latin Edition)

Author: Keller Hermann

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.




DE
VERBORUM CUM PRÆPOSITIONIBUS
COMPARATORUM APUD LUCRETIVM VSU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONCESSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
EDIDIT
AUCTOR
HERMANNUS KELLER
MARCHIVS.

HALIS SAXONVM.

MDCCLXXX.

Sl 20,329



Constantius J. ...

• Praefatio.

Postquam viri docti, qui ad res grammaticas studium et diligentiam conferunt, nisi singula perquirendo ad universam linguae cognitionem perveniri non posse recte perspexerunt, nostris temporibus magis quam antea singulorum scriptorum genus dicendi diligentius examinaverunt et persecuti sunt. Praecipue autem haec studia ad eos scriptores pertinent, qui nobis quasi quandam imaginem et specimen praebent priscae latinitatis: quare Romanorum poetae scenici in primis nunc doctorum virorum ingenia exercent. Sed Lucretius quoque in hoc numero habendus est, qui quamquam de rerum natura libros exeunte fere septimo saeculo p. u. c. conscripsit, quo tempore Ciceronis opera lingua Latina vel maxime exulta et ad summum florem perducta est, tamen ornatum sermonem vi et auctoritate Graecorum in vernaculam linguam collatum in suum usum non convertit, sed ut ipse erat prisca virtute et fide, ita orationem suam ad antiquiorem et graviorem Plauti Ennii Lucilii elocutionem conformare maluit, quam Graecorum imitari exemplum. Quapropter permulti huic poetae illustrando et emendando operam navaverunt, postquam Lachmannus carmina ad optimorum codicum fidem recensita atque emendata edidit, omnibusque studiis quae huc spectant firmum constituit fundamentum. Namque ut omittam quae post doctissimum illum virum Munroius in editione critica et exegetica (Cambridge 1860 et iterum 1866) ad singulos Lucretii locos accuratius illustrandos eiusque sermonem subtilius pernoscendum attulit, multi nostrae aetatis viri eruditi ad singulas generis dicendi partes studium contulerunt et peculiaribus libellis ea quae invenerunt in lucem prodiderunt, velut Altenburgius (de usu antiquae locutionis in Lucretii carmine obviae, Gothae 1857), Prollius (de formis antiquis Lucretianis, Vratislaviae 1859), Bouterwek (Lucretianae quaestiones grammaticae et criticae, Halis 1861),

Schubertus (de Lucretii verborum formatione, Halis 1865), Pollius (de artis vocabulis quibusdam Lucretianis, Dresden 1866), Staedlerus (de sermone Lucretiano, Jenae 1869), Kuehnus (quaestiones Lucretianae grammaticae et metricae, Vratislaviae 1869), Schroeterus (die Conditionalsätze des Dichters Lucenz, Wesel 1874), Wolffus (de Lucretii vocabulis singularibus, Halae 1878); sed tantum abest, ut iam omnia quae ad hunc poetam pertinent plana et explorata haberi possint, ut etiam atque etiam existant novae quaestiones, magnusque pateat studiis grammaticis campus. Ac ne post syntaxis quidem lineamenta Lucretianae ab Holtzio Lipsiae 1868 prodita singularum rerum in sermone Lucretiano obviarum accurata perscrutatio supervacanea videtur esse, cum alia minus recte exposita et perspecta sint, alia non satis effuse explanata et iusto magis coartata videantur. Quare **de verborum cum praepositionibus compositorum apud Lucretium usu** disserere in animo est, neque vereor ne laborem inutilem et supervacaneum susceperim. Nam cum satis constet verba composita variis temporibus varie a scriptoribus Romanis, modo simplici casu, modo praepositione iterata, usurpata esse, cumque e quaestionibus de eadem re apud alios iam scriptores institutis*) dilucide appareat antiquiores scriptores praepositionem vel eandem vel similem repetere solere, cum ei qui imperatorum temporibus scripserunt nudum dativum praetulerint, haud ingratum videtur perquirere, quomodo Lucretius, is qui tam singularem locum in litteris Romanis obtinet, hac in re versatus sit.

Sed antequam ad rem ipsam accedam, paucis explicare liceat, primum quo ordine quoque modo verba disponenda esse

*) cf. Hildebrand de verbis quae apud Ciceronem Caesarem Livium cum praepositionibus 'a de ex' conjunguntur, progr. progymn. Dortmund 1858. 1859. Lehmann de verborum compositorum quae apud Sallustium Caesarem Tacitum leguntur cum dativo structura commentatio, Vratislaviae 1863. Augustin de usu dativi ac praepositionum in structura verborum compositorum quae apud Ciceronem leguntur, Progr. gymn. Ratibor 1869. Ignatius de verborum cum praepositionibus compositorum apud Cornelium Nepotem T. Livium Curtium Rufum cum dativo structura, Halis 1877. Hahn de verborum cum praepositionibus compositorum apud veteres Romanorum poetas scaenicos cum dativo structura, Halis 1878.

putaverim et quod consilium in exemplis adferendis secutus sim, tum quid discriminis intercedat inter varias structuras a verbis compositis pendentes.

Ordinem autem dissertationis ita aptissime et dilucidissime instituere mihi visus sum, ut verba disponerem ex structura, quam ex praepositionibus quibuscum composita sunt accipiunt. Quare primo loco de eis verbis quaerere in animo est, quae cum praepositionibus 'a de ex' composita aut praepositionem assumunt, qua rem ab aliquo loco removeri vel ab alia re separari significatur, aut nudum ablativum aut dativum. Altero autem loco de eis verbis disputare mihi proposui, quae cum praepositionibus 'ad con in inter ob post prae sub' composita sunt. Quarum praepositionum, quamvis subtiles quaedam differentiae et varietates intercedant, hoc commune est, quod appropinquationem quasi quandam et coniunctionem significant, quare verba quoque, quae cum eis componuntur, hanc generalem ex eis accipiunt notionem. Hac ipsa autem significatione fit, ut duplicem patiantur constructionem, aut praepositionem aut dativum. Tertio denique loco ea verba colligam disponam de singulis disputabo, quae a verbis intransitivis formata cum praepositionibus 'ad con de e in ob per praeter sub trans' composita in transitivam abeunt notionem et accusativum assumunt. In nonnullis autem verbis cum usu veniat, ut praeter dativum vel praepositionem etiam accusativum admittant, liceat mihi in eis ita versari, ut varias horum verborum structuras sub uno quasi conspectu colloquem, quo modo et discrimina quae inter eas intercedunt apertius et manifestius appareant, et rerum tractatarum perspicuitas brevitatesque augeatur.

Atque ne quis ignoret, qua ratione in exemplis adferendis usus sim, ita ea in re versatus sum, ut omnia exempla quam accuratissime et diligentissime colligerem et exscriberem. Quin etiam nonnulla, quae proprie ad hanc quam tractamus rem non pertinent, quoniam praepositionis, quacum composita sunt, propria vis non servata est neque ab ea pendet verborum structura, non indigna esse putavi de quibus agerem: neque enim quoque loco fines tam certi tamque firmi sunt, ut ubique certo evidenterque dici possit, ubi praepositionis vis potestasque sublata sit,

tum autem constructionis verborum, quae tractarem, plenam volui et ex omnibus partibus absolutam proponere speciem.

Altero loco explicandum est quid discriminis intercedat inter varias structuras a verbis compositis pendentes. Iam vero quoniam ex quaestionibus de verborum compositorum apud varios scriptores usu institutis satis apparet horum verborum constructionis legem paulatim sed constanter progressam esse, et ita quidem, ut antiquiores scriptores praepositionem iteratam praetulerint, cum posteriorum temporum scriptoribus dativus magis placeat, facile inde colligitur totam horum verborum rationem varie variis temporibus iudicatam et intellectam esse. Quod quidem discrimen ita videtur mihi definiendum esse, ut priscis temporibus, ubi praepositio saepius adhibita est, duo verborum compositorum membra nondum tam arte tamque inseparabiliter concreverint et cohaereant, ut alterum quasi vocabulum cum significatione prorsus nova efficiant; immo utraque compositionis pars in animo dicentis vel scribentis adeo etiam distincta et separata erat, ut pro sua quaeque primaria significatione structuram variare et immutare posset. Posteriore vero aetate, quo magis lingua Latina excolebatur et in monumentis litterisque adhibebatur, eo minus ei qui loquebantur aut scribebant quoque puncto temporis sibi conscii erant, ubi verba composita usurpabant, duas in eis exstare partes, quarum utraque suam propriam notionem suamque rationem haberet: itaque eis utebantur quasi novis vocabulis cum simplicibus verbis nullo iam vinculo coniunctis. Quo factum est, ut haec in structura verborum compositorum constitueretur norma*), ut verba ea exciperet constructio, quae posita esset in ea quae ex compositione proficisceretur verborum significatione et in vi potestateque singulorum casuum propria. Haec autem ita comparata sunt, ut verbis, prout significatio in eis inest, triplex accommodari possit construendi ratio, coniunguntur enim aut cum dativo aut cum accusativo aut cum praepositione aliqua. Neque vero has constructiones pari ratione vel nullo discrimine intercedente adhibere licet, sed certae exstant differentiae, quibuscum certae quaedam

*) cf. Ad. Lehmann p. 3. Hahn p. 2.

notiones et cogitationes coniunguntur. Atque praepositio tum suum habet locum, cum loci ratio, quae verbis praepositionibus primitus locali*) natura praeditis tribuitur, in verbo cum substantivo coniungendo enucleate et significanter exprimitur. Ciceronem autem eam etiam tum adhibere cum figurate loquatur Augustin testatur p. 2.

Nec multum discriminis intercedit inter iteratam praepositionem motum alicui rei ab aliquo loco inditum significantem et sextum casum nude positum, quae variatio etiam apud optimos scriptores invenitur in verbis cum 'a de ex' praepositionibus compositis. Ac ne ea quidem in re Lucretius ab usitato sermone abhorret, quod eisdem verbis saepius, ubi de persona agitur, tertium casum adscripsit qui referendus est ad dativum commodi et incommodi.

Verba autem quae cum praepositionibus 'ad con in inter ob post prae sub subter' composita sunt, saepissime ab hac primaria significatione, quam localem esse supra diximus, recesserunt, et magis generaliter usurpata ad omnes fere res et rationes pertinent. Qua tralata significatione dativum aut etiam accusativum assumunt. Dativus autem quo modo cum his verbis coniungatur ex ipsa eius indole et natura apparet. Quae cum ita comparata sit, ut tertius casus valeat ad actionem de qua agitur accuratius definiendam, et ita quidem, ut finis indicetur actionis vel id quod persona — personaliter enim dativus plerumque usurpatur — in agendo expetat et sequatur, quocum arte cohaeret notio commodi et incommodi: verba composita, quippe quae per se non absoluta sed relativa sint, ex dativo, qui eis adicitur, tamquam suum sumunt supplementum, ex quo accuratius et certius cognoscitur, quo verbi actio spectet quoque referenda sit. Quare ubicunque in his verbis e rerum conexu satis apparet, quid sit illud quod verbi actionem cum substantivo coniungat, dativus suum habet locum; verum ubi sententia e dativo non satis manifesta fit, tum praepositione addita accuratius definitur, quae ratio intercedat inter verbum et

*) cf. Haase Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft ed. Eckstein, Lips. 1874 p. 122.

substantivum. Quod discrimen nobis, cum de verborum usu agemus, non negligendum erit.

Accusativus denique, qui ex tota sua indole vel proprie verbali, ut ita dicam, natura praeditus sit, etiam in lingua Latina proprium verbi supplementum est. Neque vero dativus et accusativus tam certis tamque definitis finibus distincti sunt, ut non transitus huc illuc fieri possit, quoniam non solum apud varios scriptores utrumque casum promiscue usurpatum videmus, sed etiam idem auctor modo hoc, modo illo casu utitur*) nullo fere discrimine intercedente. Quare de cuiusque verbi apud quemque scriptorem usu quaerendum est. Sed haec haec hactenus, iam ad rem ipsam accedere licebit.

*) cf. Hermann Mueller de generibus verbi, Gryphisvald. 1864 p. 38. qui hac re commotus verborum illam in transitiva et intransitiva distributionem a veteribus grammaticis factam, omnino reiecit. Vide etiam quae hac de re disputavit Haase Vorlesungen p. 95 et 157 sqq.

I.

Verba cum 'a de ex' praepositionibus composita, quippe quibus haec generalis subsit notio, ut significant motum ab aliqua re profectum vel causative actionem quae hunc motum efficit, triplici modo apud Lucretium constructa inveniuntur, aut cum praepositione, aut cum ablativo, aut cum dativo. Praepositiones autem, quae cum his verbis coniunctae inveniuntur, ita inter se differunt, ut praepositio 'a' generaliter exprimat motum, quo quid ab aliquo loco removetur vel ab alia re separatur; praepositio autem 'de' indicet motum ex superiore loco fieri in inferiorem; denique 'ex' praepositione motus ita accuratius definiatur, ut ex interiore alicuius rei parte exoriri dicatur, quamquam haec discrimina non semper stricte servata sunt.

Discrimen autem quod intercedit inter iteratam praepositionem et ablativum nude positum paene nullum est, nisi quod sexto casu, cuiusmodi sit motus, is qui legit magis e rerum nexu colligere debet, quam ut expressis verbis indicetur. Dativus denique cum his verbis coniunctus referendus est ad vim dativi commodi et incommodi. Verba autem haec sunt:

§. 1. Verba cum 'a' praepositione composita.

A Besse cum duobus tantum locis ita constructum legatur, ut indicetur finis, a quo persona vel res separata est, semel cum praepositione, semel cum ablativo coniungitur: IV, 242*) 'quantum quaeque a nobis res absit.' IV, 406 'vix absunt nobis missus bis mille sagittae.' Ceteris locis: III, 955, 1016, 1080; IV, 248, 1053; V, 588 absolute legitur.

*) Numeros semper sequor Bernaysianos.